

iusmodi in iis operatus fuit, cont. loca paullo ante excitata.

### §. XVI.

Uterius qui peccant contra spiritum sanctum, Apostolus commate quinto ratione status antecedentis describit, ac de iis dicit quod sint

III. καλὸν γευσάμενοι θεῶ ζῆμα, *tales, qui gustarint bonum dei verbum.* Haec verba vt distincte perspiciamus, duo potissimum sunt euincenda momenta, primo scilicet quid rei intelligendum veniat h. l. per ζῆμα τῷ θεῶ, secundo quid sit γεύειν τὸ ζῆμα τῷ θεῶ; ad prius quod attinet, vocabulum ζῆμα proprie et formaliter notat *verbum* seu *sermonem*, quod et iis notum esse censeo, qui philologiam sacram vel primoribus degustarunt labris, vnde huius rei probatione merito superfedeo. Cum ergo hanc formalem notionem vt deseramus, nulla adsit ratio, merito dicendum erit, quod ζῆμα θεῶ sit verbum seu sermo dei i. e. a deo prolatus. Et cum nullus dei sermo proftet, quem fideles promiscue gustare possent, si ab eo discesseris, qui in sacris litteris promulgatus legitur, quilibet concedat necesse est, quod hic ille indicetur dei sermo, qui in sacris litteris relatus legitur. Jam vero vere fideles atque illuminati, de quibus hic sermo est, quod in praecedentibus dedi probatum, (§. XII.) non tam Legis, quam Euangelii, in verbo dei consignati, experiuntur efficaciam, ergo per ζῆμα τῷ θεῶ hic potissimum euangelica denotatur doctrina, quae in diuinis prostat litteris. Hic Euangelii sermo, cum fidelibus dei gratiam, peccatorum remissionem, bona quaeuis spiritualia, ac aeternam denique offerat beatitatem sane καλὸς, bonus, immo optimus dici, censerique meretur.

### §. XVII.